

nem (1): *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Sed in symbolo, teste Augustino (2) continentur omnia, quae sunt de Deo et Christo revelata; ait enim: «Symbolum breve est verbis, sed magnum in sacramentis; quidquid enim de Deo et Christo in Scripturis traditum est, in symbolo continetur.» Ergo in symbolo sufficiens notitia fidei ad vitam aeternam promerendam continetur. b) In symbolo continetur quidquid necessarium est vel oportet explicite credere, imo ad hoc factum est. Ergo est sufficiens.

32. Obj. 1.<sup>o</sup> Concilia Ephesinum et Chalcedonense (3) prohibuerunt: «aliam fidem vel proferre, vel componere, quam eam, quae praestituta et praescripta est a sanctis Patribus, qui in Nicaenorum urbe cum auxilio Spiritus sancti coacti fuerunt.» Ergo non potuit Symbolo nicaeno quidquam addi.

Resp. Prohibuerunt personis privatis; conc. Summo Pontifici et concil. generali; neg. «Prohibitio et sententia synodi, ait D. Thomas (4), se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide; non enim per hujusmodi sententiam synodi generalis ablata est potestas sequenti synodo novam editionem symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam. Sic enim quaelibet synodus observavit, ut sequens synodus aliquid exponeret supra id, quod praecedens synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus haeresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate synodus congregatur, et ejus sententiâ confirmatur.»

Obj. 2.<sup>o</sup> Articuli fidei perquam necessarii sunt, ut constat ex Apostolo saepius citato, Deum esse, et remuneratorem esse. Sed hi articuli videntur non contineri in symbolo Apostolorum. Ergo saltem hoc symbolum est deficiens.

Resp. Neg. *min.* Satis continentur primus in verbis initio positus: «Credo in Deum,» alter in ultimis verbis «et vitam aeternam,»

Obj. 3.<sup>o</sup> Non omnibus fidelibus convenit credere in Deum, sed illis tantum qui habent fidem charitate formatam. Ergo inconvenienter in symbolo, quod etiam peccatores utiliter recitant, usus est formae verborum: «Credo in Deum.»

Resp. D. Thomas (5): «Confessio fidei traditur in symbolo quasi ex persona totius Ecclesiae, quae per fidem unitur. Fides autem Ecclesiae est fides formata. Talis enim fides invenitur in omnibus illis, qui sunt numero et merito de Ecclesia. Et ideo confessio fidei in symbolo traditur, secundum quod convenit fidei

(1) XVII, 3.—(2) Serm. 242, de tempore.—(3) Ephesin. act. 6.; Chalcedon. in fin. definition.—(4) 2, 2, Q. 1, a. 10 ad 2.—(5) 2, 2, Q. 1, a. 9 ad 3.

»formatae, ut etiam si qui fideles fidem formatam non habeant, ad »hanc formam pertingere studeant.» Attamen quia unusquisque fidelium quando fidem confitetur non videtur loqui in persona Ecclesiae sed propria, potest etiam probabiliter dici, particulam «in Deum» non semper significare habitudinem fidei formatae, sed sufficere ut dicat habitudinem principalis objecti fidei, vel etiam ultimi finis diligibilis super omnia, etiamsi fortasse a credente actu non diligatur.

Obj. 4.<sup>o</sup> Juxta S. Augustinum (1): «non dicimur credere nisi in Deum.» Cum ergo Ecclesia catholica sit pura creatura inconvenienter dicitur in aliquo symbolo: «in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.»

Resp. D. Thomas (2): «Si dicatur; in sanctam Ecclesiam catholicam, hoc est intelligendum secundum quod fides nostra refertur ad Spiritum sanctum, qui sanctificat Ecclesiam, ut sit sensus; credo in Spiritum sanctum, sanctificantem Ecclesiam.» Nihilominus responderi etiam probabiliter potest, lectionem illam «in Ecclesiam» non significare necessario habitudinem ad ultimum finem, sed vel tantum ad objectum creditum, ita ut credere in sanctam Ecclesiam nihil aliud sit quam credere illam esse unam, sanctam, etc., vel ad summum est credere illi, ut regulae infallibili fidei testificanti et proponenti ex motione Spiritus sancti. In symbolo tamen prout recitatur ab Ecclesia, ut bene notat Angelicus, non ponitur talis forma verborum.

### THESIS III.

Fides quoad substantiam credibilium eadem semper fuit, quoad eorum vero explicationem temporum successu crevit.

33. *Nota.* I. Fides est explicita quando assensus fertur ad ipsum objectum prout tale est. Est implicita quando aliquid credimus in quo vel alia involvuntur, quamvis nos lateant, quae illa sint, vel non possumus credere hoc, quin eo ipso saltem in communi alia credamus. Potest haec implicitas provenire. 1.<sup>o</sup> Ab objecto formali, quod ratione sua se extendit ad omne, quod Deus revelaverit. 2.<sup>o</sup> Ex eo, quod credatur aliqua collectio rerum confusa, in qua aliqua objecta continentur, quae in particulari ignorantur. Sic rusticus credens omnia, quae Ecclesia Romana credit, credit implicite omnes articulos et veritates fidei catholicae. 3.<sup>o</sup> Ex connexione unius cum alio, ita ut credens unum, implicite credat aliud v. gr. credens

(1) Tract. 39 in Joann.—(2) 2, 2, Q. 1, a. 9 ad 5.

Christum fuisse nostrum Redemptorem, implicite credit aliquo modo exercuisse redemptionem, quamvis modum in particulari nesciat, et sic de aliis (1).

II. Ut thesis melius intelligatur distinguenda sunt: 1.<sup>o</sup> Tria praecipua tempora Ecclesiae universim sumptae, scilicet status legis naturae, legis scriptae et legis gratiae; in singulis vero temporibus discernendi sunt homines illi, qui fuerunt principes et pastores Ecclesiae ab ejus communi plebe et vulgo. 2.<sup>o</sup> Quae sint credibilia quoad substantiam, quae non. Ad credibilia quoad substantiam pertinent articuli quatuor; duo generales reliquos omnes veluti implicite continentes et sunt Dei existentia et Dei providentia; duo particulares sanctissima Dei Trinitas et admirabilis Verbi divini Incarnatio, caeteri omnes, cum ad hos ordinentur, non dicuntur pertinere ad fidei substantiam sed ad eam accedere. 3.<sup>o</sup> Major credibilium substantialium explicatio potest fieri: a) Simpliciter per novam revelationem; b) Secundum quid, per declarationem et applicationem revelationis jam factae, ita ut docente Ecclesiâ incipiat esse de fide quoad nos id, quod in se jam erat de fide.

III. Thesis initium sumit a fide explicita credibilium substantialium generalium tamquam ex radice ex qua tota arbor fidei succrescere et explicari debet, et procedit praescindendo a modo explanationis comparando diversa tempora Ecclesiae quoad corpus seu communem plebem; nam de fide capitum et modo explanationis loquimur in scholio et corollariis.

34. I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Apostolus ad Hebraeos (2) fidem substantialium generalium ut necessariam omni tempore proponit: *Sine fide autem impossibile est placere Deo; credere autem oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Etenim in hac fide prospectarunt antiqui suas repromissiones, ut notat ipse Apostolus de hominibus legis naturae, paulo post: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes,* etc. Ex quibus arguit D. Thomas (3), hic proponuntur pro omni tempore prima credibilia, scilicet ut credatur Deum esse et providentiam habere circa hominum salutem. Sed in esse divino includuntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit; in fide autem providentiae includuntur omnia, quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem; ae proinde ipse Christus. Ergo fides quoad substantiam pro omni tempore eadem fuit.

2.<sup>o</sup> Doctrinae Patrum sit testis S. Augustinus (4): «Tem-

(1) Ex Lugo, de fide, D. 3, n. 65. — (2) XI, 6, 13. — (3) 2, 2, Q. 1. a. 7. — (4) In Joann. tr. 45, n. 9.

»pora variata sunt, non fides: quia et ipsa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur: alium sonum habet venturus est: »alium sonum habet, venit. Mutatus est sonus, venturus est, et »venit: eadem tamen fides utrosque conjungit et eos, qui venturum esse, et eos, qui eum venisse crediderunt.»

3.<sup>o</sup> Ratione: a) Semper fuit eadem justitia et sanctitas secundum substantiam in hominibus viatoribus: ergo et fundamentum justitiae seu fides. b) Omnes tendunt in eandem beatitudinem et per eundem mediatorem Christum; ergo necesse est ut omnes conveniant in eadem fide saltem secundum substantiam ejus.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> S. Paulus ad Ephesios (1) de mysterio Incarnationis scribit: *quod aliis generationibus non est agnatum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in Spiritu.* Et S. Joannes (2): *Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscimus verum Deum, et simus in vero Filio ejus.* Sed haec verba important ampliorem saltem haberi notitiam de Christo posterioribus quam prioribus temporibus. Ergo...

2.<sup>o</sup> S. Gregorius (3): «Per Testamentum Novum in corde »fidelis populi fides Trinitatis crevit juxta illud Matthaei (4): »*Euntes docete omnes gentes.*» etc.

3.<sup>o</sup> Ratio hujus veritatis pendet principaliter ex ordinatione divina; congruentiae autem sunt: a) Quia status hominum legis naturae et legis scriptae, praecedentes legem gratiae, erant imperfecti, juxta illud Pauli (5): *nihil enim ad perfectum adduxit lex.* b) Genus humanum erat in statu inimicitiae, quatenus non erat satisfactum Deo pro communi offensa, et ideo usque ad Christi praesentiam fidei cognitio sicut et alia gratiae dona non sunt cum magna abundantia communicata hominibus, sed solum quantum expediebat ad majorem Christi gloriam et ad executionem divinae praedestinationis.

Nota bene quod jam initio monuimus, nos] hanc partem tueri comparando diversos status inter se et quoad corpus seu substantiam doctrinae, nam si diversae partes ejusdem status seu temporis inter se comparentur, tunc Lugo post Suarium scite animadvertit, non posse regulam praescribi certam ut vel priora vel posteriora saecula semper praeferamus propter majorem fidei notitiam et explanationem; cum alternantibus vicibus, aliquando hoc saeculo major lucis splendor affulgeat, aliquando minor, providente Deo suis temporibus doctores Ecclesiae suae, prout necessitas et divinae providentiae ordo exigit.

(1) III, 5. — (2) I.<sup>a</sup> V, 20. — (3) Homil. 16 in Ezechiel. — (4) Cap. ult. — (5) Hebrae, VII, 19.

## SCHOLION.

*De explicatione fidei ante et post Christum.*

35. **Dico I.** Fides explicita credibilium substantialium particularium, quamvis in communi populo ante adventum Christi non esset, fuit tamen in capitibus seu principibus fidelium.

I.<sup>a</sup> Pars. Prob. Iisdem argumentis, quibus secunda pars thesis praecedentis.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Juxta doctrinam communiter receptam (1) Adamo mysterium Incarnationis revelatum est, cum Deus ei promisit Redemptorem (2): *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidias calcaneo ejus.* De Abraham dixit ipse Christus (3): *Abraham, pater vester, exultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est.* Fidem Moysis laudat Apostolus (4), quia aestimavit majores divitias thesauro Aegyptiorum improprium Christi. De Davide interrogavit Christus D. affirmans (5): *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum (Christum) Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Generatim de Prophetis et Regibus Veteris Testamenti asseruit Dominus (6): *Dico enim vobis, quod multi Prophetae et Reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt; et audire quae auditis et non audierunt.* Sed haec testimonia sensu obvio accepta important fidem explicitam mysterii Incarnationis et consequenter sanctissimae Trinitatis. Ergo... Minor quoad secundam ejus partem est D. Thomae et probatur ab ipso (7): «Mysterium Incarnationis Christi explicitate credi non potest sine fide Trinitatis; quia in mysterio Incarnationis Christi hoc continetur »quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus »sancti mundum renovaverit, et iterum quod de Spiritu sancto »conceptus fuerit. Et ideo eodem modo, quo mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicitate creditum a majoribus, »implicite autem et quasi obumbrate a minoribus, ita etiam et »mysterium Trinitatis.»

2.<sup>o</sup> S. Gregorius M. (8) occasione accepta ex verbis S. Joannis (9): *scimus quoniam Filius Dei venit*, ait: «Dei cognitio, quae »in Patribus spiritualibus fuit, nota toti populo hebraeorum non »fuit, nam omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem »cum Prophetae praedicarent, populus ignorabat, solum decalogum tenebat in fide, legem Trinitatis nesciens.»

(1) Vid. Suarium comment. in 3, Q. 1, art. 3.—(2) Genes. III, 15.—(3) Joann. VIII, 56.—(4) Hebrae. XI, 26.—(5) Matth. XXII, 43-45.—(6) Luc. X, 24.—(7) 2, 2, Q. 2, a. 8.—(8) Homil. 16 in Ezech.—(9) I.<sup>a</sup> V, 20.

3.<sup>o</sup> Ratio non est alia nisi quia ita ordinatum est et provisum a Deo in gloriam suam et Christi, ut perfectius ab Ecclesia fidei credi et amari posset, si ejus capita intimiorem conjunctionem cum eo et ampliorem divinarum arcanorum notitiam habere cernerentur. Item quia decebat praecipua Dei mysteria et Christi D. Salvatoris, quae in patria videnda sunt sempiternoque cantu celebranda (1), etiam in hac mortali vita ab aliquibus fidelium primatibus fide teneri ob eaque Deum laudari et magnificari, quemadmodum sublimi suo cantico praestitit Habacuc propheta (2) gaudens in Domino, exultans in Deo Jesu suo.

36. **Dico II.** Homines propinquiores Christo, qui in statibus legis scriptae et gratiae fuerunt primates Ecclesiae, (ut parentes B. Virginis, S. Joannes Baptista, Apostoli), plus fuerunt in fide illuminati; Apostoli autem ita plene, ut nullum mysterium ignoraverint, adeo ut post illos nec fuerit, nec futura sit juris publici nova revelatio.

I.<sup>a</sup> Pars. Quoad antecedentes Christum ex ipsa historia Veteris Testamenti probatur; nam incipiendo a Moyse cui specialiter suum nomen substantivum revelavit Deus (3), deinde per Prophetas magis in dies declarabatur Christus usque ad Joannem Baptistam, qui illum digito monstravit (4). «Qua in re, ait S. Gregorius »M. (5), hoc quoque nobis sciendum est, quia per incrementa temporum crevit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus Prophetae quam Moyses, plus »Apostoli quam Prophetae in omnipotentis Dei scientia eruditi »sunt.»

II.<sup>a</sup> Pars habetur ut certa, et prob. 1.<sup>o</sup> Ex illis sacrae Scripturae locis, quibus dicitur; a) Apostolis omnem revelandam veritatem esse communicatam. Apud Joannem (6): *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* b) Apostolos esse fundamentum nostrae fidei (7): *superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Jesu; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* Non igitur major erit fides nostra suo fundamento; praesertim cum constet: c) non licere aliam fidem a fide apostolica docere (8). *Sed licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

2.<sup>o</sup> Aperte docent SS. Patres. S. Epiphanius (9) ait: «Apostolos accepisse donum, quo omnia ipsis clare Spiritus sanctus »exposuit.» Post Evangelium ab Apostolis praedicatum, absolutam esse omnem novam revelationem ad fidem communem pertinentem ita asserit Tertullianus (10): «Nobis curiositate opus non

(1) Apoc. V, 12.—(2) III, 18.—(3) Exod. VI, 3, III, 13, 14.—(4) Joann. I, 29, 36.—(5) In Ezech. homil. 16, n. 12, al L. 2, n. 4.—(6) XVI, 13, XV, 15.—(7) Paulus ad Ephes. II, 20, 21.—(8) Gal. I, 8.—(9) Haeres. 66.—(10) De praescript. c. 8.

est post Christum ducem nec inquisitione post Evangelium; cum credimus, nihil desideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, nihil esse quod ultra credere debeamus.» Auctor tandem epistolae S. Barnabae dictae hanc brevissimam dat regulam: «Regula lucis est: custodi quod accepisti, neque addens aliquid, neque detrahens.»

3.º Tradunt concilia Tridentinum (1) et Vaticanum (2), quod ait: «Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declarata, continetur in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt.» Hinc, Ecclesia ex una parte semper habuit ut notam erroris novitatem doctrinae, haeretici ex altera suas doctrinas non esse novas sed veteres ex Scriptura, quantum potuerunt, conati sunt demonstrare.

4.º Ratione cum P. Hurter (3): «Christus sicut est Redemptor noster, ita et Magister noster: nam ejus ministerium non est nisi functio (pars) quaedam ipsius redemptionis. Sicut ergo haec adeo perfecta est, ut alia nulla sit expectanda, nec ullum admittat objectivum incrementum: ita et revelatio Christo magistro facta absoluta adeo est, ut nulla alia sit expectanda nulloque incremento perficiatur. Hinc ut plena et absoluta opponitur revelationibus partialibus prophetarum Veteris Testamenti a S. Paulo (4): *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, etc...*»

37. **Corollarium.** Ergo progressus indefinitus evolutionis veritatum fidei a rationalistis confictus falsus est, et insuper absurdus.

**Nota.** Inter absurda commenta aetatis nostrae unum est, fidem revelatam non esse nisi unam ex pluribus humanae rationis evolutionibus ad perfectionem progressive tendentis; haec evolutio, novà jam incipiente evolutione ad pantheismum, ad religionem naturae, etc., destruetur, sicut et ipsa polytheismi evolutionem ante destruxit. Ad limites hujus falsae doctrinae temerarie accedit singularis opinio Güntheri docentis, revelationis intelligentiam continuum ope Philosophiae suscipere incrementum, ita ut Patres perfectius quam Apostoli cognoscerent sensum veritatum fidei, non tamen perfecte propter imperfectionem eorum Philosophiae, quae cum nostra aetate ultimam perfectionem attingat, in causa est ut intelligentia fidei ad eam perfectionem properet ultra quam, sicut ipse loquitur, progredi non possit. Inde eruit: 1.º Non eodem modo semper intelligenda esse dogmata, sed prout temporis Philosophia exigat; quem modum inter plures tenere necessum sit, Ecclesiae definitioni concedit. 2.º Ecclesiae definitiones esse quidem infallibiles, non tamen perfectissimas et omni ex parte irreformabiles; nam

(1) Sess. 4. Decret. de can. Script.—(2) De fide cap. 2, de revelat.—(3) Theol. dogm. comp. V, I. De tradit. n. 214.—(4) Hebrae. I, 1, 2.

licet contineant aliquam veritatem, non exprimunt simpliciter omnem veritatem nec ultimam dogmatis intelligentiam, quae tantum perfici potest ut cesset mysterium.

Prob. 1.º Ex secunda parte thesis praecedentis; si enim jam in Apostolis fuit plena, ut modum loquendi adversariorum teneamus, evolutio fidei et plena intelligentia mysteriorum nequit haec simpliciter et per se ulterius progredi; sed solum per accidens et improprie, quatenus ubi per circumstantias minoris necessitatis ad credendum, neglecti studii dogmatis, etc., obscurata fuerit, iterum, illis semotis, pristinus sensus detegatur, distinctius exponatur, suumque primum splendorem obtineat (1).

2.º Directe, Ecclesiae definitionibus. Concil. Vaticanum statuit: «Si quis dixerit fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit (2).» Pius IX in *Syllabo* damnavit propositionem 5.ª «Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressionem respiciat.» Et 4.ª «Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant: hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.»

3.º Ex ipsa indole veritatum fidei, ut insuper absurditas monstratur. Ex adductis ubi de Religione (3), constat fidem esse supernaturaliter revelatam et praeterea quaedam dari dogmata humanae rationis captum omnino superantia, unde: omnis veritas revelata, qua revelata non est solo rationis humanae lumine attingibilis, nec plus potest se objective extendere, quam ipsum lumen revelationis eam illuminet atque patefaciat; quae rationis captum superant ullo rationis progressu inveniri possunt; et multo minus sola ratione intrinsecus et perfectius cognosci. V. Vaticanum (4).

4.º Si confictus a rationalistis progressus daretur, omnia dogmata diversarum sectarum religiosarum non essent nisi plures formae successive perfectiores unius ejusdemque fidei, et omnes saltem suis aetatibus fuissent verae. Sed nihil absurdius excogitari potest; nam dogmata diversarum sectarum religiosarum, puta monotheismi et polytheismi, contradictorie inter se aut etiam contrarie opponuntur: jam vero contradictoria et contraria nequeunt esse simul vera. Ergo...

38. Obj. 1.º Ecclesia aliqua definivit de fide, quae antea non

(1) Ecclesiae magisterii est et fuit: 1.º Determinare diversas oppositiones veritatis revelatae ad varios et novos cujusvis temporis haeticorum errores. 2.º Per partes proponere quae complexa erant. 3.º Evolvere particularibus propositionibus, quae in universali comprehendebantur. 4.º Separatis articulis docere quae confuse a fidelibus intelligebantur. 5.º Diserte affirmare, quae praxis jam significabat. (P. Hurter. Comp. Theol. v. I, n. 216.)—(2) Const. de fide, cap. IV. De fid. et revel. can. 3.—(3) Vol. I. Disquis. II. Thes. I, XXIII, XXIV.—(4) De fide, cap. 4.

erant credenda; imo negari poterant. Ergo aliqua videntur incipere pertinere ad fidem, quae antea non pertinebant.

Resp. Dist. *antec.* Aliqua definivit de fide, quae non essent jam revelata; neg. Quae erant jam revelata, licet propter circumstantias non explicite et obligatorie credenda; conc. Ecclesia enim in hujusmodi definitionibus solet prius scrutari diligenter sensum Scripturae, doctrinam SS. Patrum, traditiones, etc., ut appareat quid Apostoli ipsi de hac re senserint, et quid a Deo acceperint. Quare Ecclesia in sua definitione manifestat hanc veritatem contineri in iis, quae per Scripturam vel alio modo Apostolis manifestata fuerint, et in doctrina quam nobis reliquerunt.

Obj. 2.<sup>o</sup> Aliqua de fide nobis credenda proponuntur, quae Apostoli explicite non crediderunt v. g. Leonem XIII esse summum Pontificem et Christi Vicarium, concil. Nicaenum fuisse legitimum, etc. Ergo Apostoli, etc.

Resp. Dist. *antec.* Non crediderunt ratione contingentiae objecti veritatis objectae, quod tempore Apostolorum non existeret; conc. Quasi defuerit aliquid Apostolis ad plenam et explicitam mysteriorum omnium intelligentiam; neg. Duplex genus distinguendum est propositionum, quae successu temporum explicite creduntur. Primum pertinet veluti ad substantiam mysteriorum, ut in mysterio Incarnationis Christum habuisse duas voluntates, ejus Matrem B. V. Mariam fuisse sine labe conceptam etc. et has propositiones cognoscebant Apostoli explicite. Secundum genus est propositionum contingentium, quae tempore Apostolorum nondum evenerant, ut quod Leo XIII, sit Pontifex, quod Petrus conceptus sit in peccato originali etc. et has propositiones non fuit necesse ab Apostolis cognosci explicite, sed tantum implicite in universali, quia non erat necessarium illis revelari omnia futura (1).

Obj. 3.<sup>o</sup> Post Apostolos multa esse sanctis et privatis personis revelata, quae non videntur ab Apostolis fuisse cognita. Ergo non omnem revelationem, etc.

Resp. Ideo dixi in assertionem «juris publici nova revelatio;» nam fidem post Apostolos objective non crevisse debet intelligi ait Lugo (2): «de iis veritatibus, quae ad fidem catholicam pertinent. »Possunt enim de facto alicui privatae personae aliqua revelari a »Deo, quae Apostolis non fuerint manifestata... Sufficit ergo, quod »veritates illae, quae ad fidem catholicam et universalem omnium »fidelium pertinent, non sint novae, sed contentae in iis quae jam »antea Apostolis revelatae fuerant.»

(1) Vid. Suar. De fide D. 2, sect. 6.—(2) De fide D. 3, n. 70.

## ARTICULUS II.

## De objecto formali fidei.

## THESIS IV.

Objectum formale fidei est auctoritas Dei res credendas revelantis et testificantis, sua in cognoscendo inerrantia et in dicendo infallibilitate.

39. *Nota.* I. Agimus in hac thesi de objecto formali fidei seu de ratione formali motiva propter quam credimus. Jam vero per fidem non solum credimus revelatis a Deo, sed etiam auctoritati divinae revelanti: hinc duplex gignitur quaestio, prima de motivo immediato et ultimo assentiendi credibilibus v. g. Eucharistiae, altera difficilis valde de motivo immediato assentiendi auctoritati et attestationi divinae. In thesi sermo est de prima (1).

II. Thesis duas habet partes prima exhibet quodnam sin objectum formale, secunda quibus divinis attributis constituatur, declarat. Circa primam errant praecipue rationalistae, qui putant nihil esse credendum nisi quod humana ratione intelligitur ac persuadetur. Aperte destruunt ipsam fidem, juxta illud Pauli (2): *Sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Pro secunda parte notandum, triplicem in Deo discernendam esse veritatem, in essendo, in cognoscendo et in dicendo. Prima idem est quod veritas transcendentalis Dei, in quantum tale ens est, et ideo quoad conceptum realem objectivum non distinguitur ab ipsa deitate. Veritas in cognoscendo est ipsa divina cognitio, quatenus semper est conformis rebus cognitis; unde duo spectant ad primam veritatem sub hac ratione, unum est ut nihil ignoret, seu ut nulla veritas Deum lateat, aliud est ut in nullo erret seu ut nunquam falli possit; aliter non haberet Deus summum gradum veritatis in cognoscendo. Veritas in dicendo consistit in conformitate loquutionis cum mente, ita ut nunquam fallere possit, cum aliquid revelat.

His positus, intelligentur theologorum sententiae: Guillelmus Parisiensis (3) dixit, nos non credere Deo quia verax est, sed quia supremus Dominus est, cui obediendum est captivando intellectum in obsequium ejus; Aureolus voluit Deum sub

(1) Vol. I. Disq. II, n. 34, 36.—(2) I.<sup>a</sup> Cor. II, 4, 5.—(3) Lib. de Fide.

ratione Deitatis esse objectum formale fidei; S. Bonaventurae tribuitur sententia, quae tenet Deum sub ratione primae veritatis in cognoscendo esse objectum formale fidei, aliis contententibus esse primam veritatem in dicendo. Verior sententia, quae Cardinali Mazellae (1) videtur a concil. Vaticano statuta, propugnat has duas veritates, scilicet in cognoscendo et dicendo constituere summam Dei in testificando auctoritatem ita ut ex his duabus veritatibus una exurgat suprema ratio credendi.

40. I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Esse de fide ex concil. Vaticano (2): «Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.» Idem concilium fidem definit (3): «virtutem esse supernaturalem qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus... propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.»

2.<sup>a</sup> Ex sacra Scriptura in qua S. Joannes (4) ait: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Praecursor Domini hoc testimonium dedit de Christo (5): *Qui de caelo venit super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testatur; et testimonium ejus nemo accipit. Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Paulus ad Thessalonicenses scribit (6): *Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Sed iis aliisque similibus textibus, qui possent afferri, clare significatur fidem nostram niti testimonio Dei infallibiliter vero, tamquam motivo formali. Ergo.

3.<sup>o</sup> Ex Patribus S. Leo ait (7): «Divina est auctoritas cui credimus.» S. Dionysius Ar. (8): «Deus est simplex verique subsistens veritas, circa quam ut liquidam et nusquam oberrantem scientiam divina omnium fides est.»

4.<sup>o</sup> Ratione, quia objectum formale fidei humanae est minor vel major auctoritas hominis dicentis; ergo et fidei divinae erit summa auctoritas Dei revelantis, cum ex hac parte eadem sit utriusque ratio.

41. II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Definitione fidei a concil. Vaticano data supra (prob. 1.<sup>o</sup>) cum dicit objectum formale fidei esse: «Au-

(1) De virt. infus. n. 310.—(2) De Fide, can. 2, cap. III. Const. de fide.—(3) Ibid. in cap.—(4) I, 18.—(5) Joann. III, 31-34.—(6) I.<sup>a</sup>, II, 13.—(7) Serm. 7, de Nativ.—(8) De div. nomin. c. 7.

»ctoritatem Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.» Sed non falli competit Deo ut est in cognoscendo prima veritas; non fallere autem ut est prima veritas in dicendo. Ergo...

2.<sup>o</sup> Ex adductis in prima parte testimoniis sacrae Scripturae et SS. Patrum elucet objectum formale fidei esse infallibile Dei testimonium. Sed tale testimonium *essentialiter* et *unice* importat Deum esse summam veritatem in cognoscendo et dicendo. Ergo...

*Minor* quod *essentialiter* prob. Importat summam veritatem in cognoscendo, nam alias quantumvis supponatur Deus rectus et prudens in loquendo, timeri posset ne falleretur. Importat summam in dicendo, aliter possemus suspicari, an Deus loquutione sua nos decipiat aut voluntarie fallat.

Quod *unice* prob. a) Quia tali posita attestazione primae veritatis et praecisa quavis alia ratione, habetur absolute sufficiens et maxime proportionatum motivum assensus super omnia certi circa objectum materiale fidei obscure propositum, ob immediatam et necessariam connexionem hujus cum illo motivo indefectibiliter vero et veraci. b) Si per impossibile Deo non competeret summa veritas in attestando, quamvis haberet omnes alias perfectiones infinitas in omni genere, ei non deberetur, nec prudenter haberi posset, fides omnino indubitata et appetiative certissima; contra vero talis fides ei deberetur et prudenter haberi posset, si haberet veritatem summam in attestando, quamvis caeteris perfectionibus careret. Ergo prima veritas in attestando seu Deus ut summa veritas in cognoscendo et dicendo, et non deitas, aut alia Dei perfectio, ut dominium, est motivum formale, quo nititur fides divina (1).

#### SCHOLION.

*An idem sit objectum formale fidei in veritatibus decretoriis et promissoriis.*

**Dico:** Summa Dei veritas in cognoscendo et dicendo est etiam motivum formale sufficiens pro veritatibus decretoriis et promissoriis.

42. **Nota.** Veritates, quae sunt objectum divinae revelationis, aliae sunt assertoriae, aliae decretoriae, aliae promissoriae. Assertoriae simpliciter affirmant de suo subjecto aliquid esse vel non esse v. g. Christus est praesens in Eucharistia, Christus non est ubique; decretoriae manifestant aliquod Dei decretum v. g. iudicabo vivos et mortuos; promissoriae tandem continent divinam promissionem v. g. verba Christi (2): *omnis qui reliquerit domum,*

(1) Platelli. Synop. De fide, nn. 6, 7.—(2) Matth. XIX, 29.